



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

84. Christus aperit oculos cæci nati.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

D. N. IESV CHRISTI. 77

ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum, si quid videret. *Marc. 8. v. 22. & 23.*

II. Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: & coepit videre, & restitutus est, ita ut clarè videret omnia. *Marc. 8. v. 24. & 25.*

III. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in viciniam introieris, nemini dixeris. *Marc. 8. v. 26.*

MEDITATIO LXXXIV.

Christus aperit oculos cæci nati.

I. **P**Ræteriens IESUS vidit hominem cæcum à nativitate: & interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit IESUS: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo. *Ioan. 9. v. 1. 2. 3.*

II. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. *Ioan. 9. v. 4. & 5.*

III. Hæc cum dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex spuito, & linivit lutum super oculos ejus. Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë, (quod interpretatur

Missus.) Abijt ergo, & lavit, & venit videns.
Ioan. 9. v. 6. & 7.

MEDITATIO LXXXV.

*Qui cæcus fuerat, miraculum narra-
 rat vicinis.*

I. **V**icini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum. *Ioan. 9. v. 8. & 9.*

II. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatorium Siloë, & lava. Et abij, lavi, & video. *Ioan. 9. v. 10. & 11.*

III. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. Adducunt eum ad Phariseos, qui cæcus fuerat. Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos ejus. *Ioan. 9. v. 12. 13. 14.*

MEDITATIO LXXXVI.

*Idem, qui cæcus fuit, examinatur à
 Phariseis.*

I. **I**terum ergo interrogabant eum Phari-
 sæi